Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Propterea haec dicit dominus exercituum deus
israhel: Ecce ego visitabo regem baby-
lonis et terram eius. sicut visitavi
regem assur. et reducam israhel ad ha-
bitaculum suum. et pascetur carme-
lum et basan: et in monte ephraym.
et galaad saturabitur anima eius. In
diebus illis et in tempore illo dicit dominus.
queretur iniquitas israhel et non erit.
et peccatum iuda et non invenietur. Quo-
niam propitius ero eis quos reliquero. Super
terram dominantium ascende: et super
habitatores eius visita. dissipa et inter-
fice que post eos sunt ait dominus:
et fac iuxta omnia que precepi tibi.
Vox belli in terra: et contritio magna.
Quomodo confractus est et contritus mal-
//in gētū leus universe terre: Quomodo versa est //
babylon in gentibus: Illaqueavi te. et
capta es babylon et nesciebas. In-
venta es et apprehensa: quoniam dominum pro-
vocasti. Aperuit dominus thesaurum
suum. et protulit vasa ire sue: quoniam opus
est domino deo exercituum in terra
chaldeorum. Venite ad eam ab extre-
mis finibus: aperite ut exeant qui con-
culcent eam. tollite de via lapides.
et redigite in acervos: et interficite eam.
nec sit quicquam reliquum. dissipate uni-
versos fortes eius: descendant in occi-
sionem. Ve eis quia venit dies eorum. di-
es: tempus visitationis eorum. Vox fugi-
entium et eorum qui evaserunt de terra aqui-
lonis: ut annuntient in syon ultio-
nem domini dei nostri. ultionem tem-
pli eius. Annuntiate in babylone
plurimis: omnibus qui tendunt arcum.
Consistite adversus eam per gyrum:
et nullus evadat. Reddite ei secundum
opus suum. Iuxta omnia que fecit
facite illi: quia contra dominum erecta est.
adversum sanctum israhel. Propterea cadent iu-
venes eius in plateis eius: et omnes
viri bellatores eius conticescent in die
illa ait dominus. Ecce ego ad te su-
perbe dicit dominus deus exercituum:
quia venit dies tua. tempus visitatio-
nis tue. et cadet superbus et corruet: et non
erit qui suscitet eum. Et succendam
ignem in urbibus eius: et devorabit
omnia in circuitu eius. Capitulum xli.

Haec dicit dominus exercituum.
Calumpniam sustinent fi-
lii israhel et filii iuda simul.
Omnes qui ceperunt eos tenent: no-
lunt dimittere eos. Redemptor
eorum fortis: dominus exercituum nomen
eius. Iudicio defendet causam eorum:
ut exterreat terram. et commoveat habita-
tores babylonis. Gladius ad chal-
deos ait dominus: et habitatores ba-
bylonis. et ad principes et ad sapien-
tes eius. Gladius ad divinos eius:
qui stulti erunt. Gladius ad fortes
illius: qui timebunt. Gladius ad
equos et ad currus eius. et ad omne
vulgus eius quod est in medio eius.
et erunt quasi mulieres parturientes. Gla-
dius ad thesauros eius. qui diri-
pientur. Siccitas super aquas eius
erit. et arescent: quia terra sculptilium
est: et in portentis gloriatur. Propterea
habitabunt dracones cum fatuis fi-
cariis: et habitabunt in ea strutiones.
et non habitabitur ultra usque in sempi-
ternum: nec extructetur usque // generati- //ad
onem et generationem. Sicut subver-
tit deus sodomam et gomorram. et
vicinas eius: ita non habitabit i-
bi vir. nec incolet eam filius ho-
minis. Ecce populus venit ab aqui-
lone: et gens magna et reges mul-
ti consurgent a finibus terre. Arcum
et scutum apprehendent: crudeles sunt